



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Conversio Magni Avgvstini, Postea Hypponensis Antistitis Maximi

Werner, Ignaz

Lincii, M DC XCII.

§. I. Cogitatio prima de instabilitate, & ircertitudine bonorumemporalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70025)

PARS PRIMA.

Veritas Divina; ut odiū mundi ejusque illecebrarum, & peccatorum inducat in animum Augustini cogitationibus æternis illum illuminat.

SENTENTIA.

Vita hæc vita misera, vita incerta, laboriosa, & dolosa; felices illi, qui familiaritatem ejus recusant, perfunctoria gaudia spernunt, societatem abjiciunt; ne cum pereunte deceptrice, & ipsi perire cogantur.
Med. c. 21.

§. I.

Cogitatio prima de instabilitate, & incertitudine bonorum temporalium.

SENTENTIA.

Pereant hæc omnia; & dimittamus hæc inania, & vana; ruinosus enim mundus est, & decipit; conferamus nos ad solam inquisitionem eorum, quæ finem non habent. In lib. Confess.

D 2

Quid

Quid iuvat Aufonios animô depingere fasces
 Perque triumphales necere ferta comas
 Hesperus auroram modico temone fatigat,
 Longævoque vetat crescere vere rosas.
 Gaudia vermis alit, defalcata Parca triumphos
 Omnia crudeli stamine Parca metit.
 Incertis rapitur, formosa jugalibus ætas;
 Ambiguamque rapit mobilis hora fidem.
 Lubrica res tempus, sua se per puncta trucidat
 Dumque tenetur, abit proditor ipse sui.
 Atque ita qui florem Phœbo nascente videbat
 Exiguum cinerem sole cadente videt.
 Purpura manè rubet, sed vespere pallida marcescit
 Una dies cunas, datque sepulchra rosas.
 Tempore corripere, fatalis arundo sagittat,
 Nec timet eximios præcipitare Duces.
 Omnia mors æquat, manet immutabile fatum
 Et puer, & Juvenis mergitur, atque Senex
 Et jacet immixtus pannoso Romulus Iro:
 Nec meliora Codrus paupere busta tenet.
 Cura omnis brevis est, quam texit aranea, tela
 Quamque levis rumpit vindicis aura Notus
 Stamina staminibus cum filis fila maritat,
 Perque semel textas, itque, reditque vias.
 Assimiles plagas, mens nostra & aranea texunt
 Assimiles nimium debilitate pares?

Utraque Dædaleos suspendit ab arte labores,
Telis illa suis, motibus ista suis.

Illa catenatum centeno stamine textum
Ponit Arachnæis ingeniosa dolis.

Ista trahit vario sinuatam margine vitam,
Nec finit immoto sistere vota loco.

Utraque longævis discursibus æthera fallit.
Spes tamen effectum fallit utramque suo.

Illa laborando vitalia viscera rumpit,
Ista labat tragici funeris icæta manu.

Hanc labor, hæc diro dolor arduus impetit æstu;
Nec finit innubi currere sole dies.

Heu! quoties tristem sibi textit aranea restim,
Et misera in proprio trita labore perit?

Utraque sublimes meditatur in æthera gressus
Filis illa suis, fraudibus ista suis.

Illius implacidus dirumpit gaudia ventus,
Hanc rapit immitti mors metuenda manu.

Quam brevis hora rapit telam pedetis Arachnes,
Tam brevis hora tibi funera necit, homo.

Tam fragili pendent tua gaudia stamine fixa,
Vix bene nata cadunt, vix bene visa volant.

Crede, quia in tenuem mundus componitur urnam;
Quidquid habet cunas, certa sepulchra feret.

§. II.

Respondet Genius Augustini Cogitationi
de instabilitate, & incertitudine bono-
rum mundi hujus. SEN-